


INES THEOL.
WILSEL

199

A

178

Dies muß 11



Continentur hoc volumine .

1. D. H. M. Eccardi Diss. de Natura et principio Theologiae It. de S. Scriptura Diss. II
2. D. Eccardi Diss. 1. de Deo e jusq' attributis. 2. de Sanctissimo Trinitatis Mysterio. 3. de Creatione Conservatione et gubernatione mundi It. de Angelis 4. de Providentia divina.
3. D. Eccardi de Divinitate Christi contra Photinianos. & Eccardi
4. D. Eccardi de Peccato originis & Arndts.
5. D. Eccardi de Mysterio Incarnationis & Flensner 2. de Praedestinatione. & Tegetmeier. (3) de Conversione hominis ad Deum cum Appendice. & Neomarin. 4. de Justificatione hominis coram Deo & Melman. de Renovatione hominis. 5. de Ecclesia et quatuor Novissimis. & Alberti.
6. D. Eccardi de Ecclesia Diss. Inaug. & Henckelius.
7. D. Eccardi de Sacramentis in genere. de Sacramento Baptismi. 2. de S. Sancta Eucharistia seu Cena Domini contra Reformatos & de Cena Domini contra Pontificios. It. 3. de Vera et reali presentia Corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, contra Calvinianos.
8. Gründliche Andenckung P. Wittfelt Soc. 1. etc. D. H. M. Eccardi.
9. C. Horneij Diss. Inaugur. de S. Scriptura sub phil. D. 8. Calixti.
10. D. I. Musaej Diss. de Peccato in Spiritum S. Heber.

11. D. Weinmanni disp. de Peccato in Spiritum S. & Stank
12. Philippi Melancthonis et Martini Chemnitij Testimonia
quod omne peccatum quoad formale suum non sit posi-
tivum sed privativum quid.
13. Aegidij Hunnij et Leonh. Hutleri testimonia quomodo
peccatum etc.
14. D. I. Musæi disp. de Fide prima, quæ est de causa
fidei efficiente. & Zener.
15. D. Niemannij de Bonis operibus & Engelbrecht.
16. D. Gerhardi Göttingen bon hochster nicht dinstigkeit
sind die bliggen Göttingen adandell etc. etc. etc.
Testimonia recentiorum ecclesie doctorum, quod pie-
tatis vitæ et bonorum operum à Deo præceptorum
studium fidelibus ad salutem necessarium sit.
17. D. Musæi Sadonien ob quibusdam notig
in zur Valigkeit.
18. D. I. Musæi de Natura et definitione Ecclesie
& M. I. Kunneken.
19. D. Calovij de Triplicis Spiritus S. Gratia, vocantis
justificantis et conservantis quidditate et diver-
sitate & Steller.
20. Sam. Voss disp. mauro. de Aurea salutis catena
Cap. 8. qd Rom. 4. 29. 30. sub psid. D. Cellarij.
21. D. I. Musæi de Baptismo & M. Keilij.
22. D. Petri Musæi de Baptismo & Starckij.
23. D. Trügman de Salute Infantum pæpuev. Christianorum
sine Baptismo decedentium & Tegütze.

24. D. I. Musæj de Communionē sub utraq̃ spe
cie, utrum à Christo præcepta sit, & Schrötelij.
25. D. I. ^{Disp. II.} Musæj de Sacra Coena, sintne corpus et
sanguis Christi in ea realiter præsentia, contra Vorstium.
26. D. Havemanni Demonstratio quod vere adsit rea
liter ac substantialiter corpus Christi & manducetur
& sanguis Christi ac bibatur in S. Eucharistia.
27. D. Alb. Graueri ^{Disp.} de Idololatriæ Corporis Christi
festo ^{M. Legdeus.}
28. D. E. Gerhardi de Custodia Angelorum &
^{J. Irvillij.}
29. D. E. Gerhardi de Termino vitæ humanæ. ^{J. Jacobi}
30. D. Meisneri de Statu animarum separatarum.
^{R. Lic. Derschow.}
31. D. E. Gerhardi de Appellatione ad Supremum
et incorruptum Judicem Jesum Christum, quam
vulgo Citationem dicunt in vallem Josaphat.
^{R. Neumann}
32. M. Alb. Elers ^{Disp.} Inaug. de Resurrectione carnis
^{sub Opid. D. C. Horneij.}
33. D. E. Gerhardi de Claritate corporum nostro
rum in futuro seculo & M. Hedenus.
34. D. E. Gerhardi de Natura et quidditate lumi
nis gloriæ & Gebhardi.
35. D. Niemannii de Aeterna infidelium reproba
tione & M. Hedenus.
36. Hildebrandi de Conscientia variisq̃ ejus
casibus ^{Disp. moralis & J. J. J. J.}
37. Chemnitij <sup>Disp. Inaug. moralis ac practica de Tentati
onibus spiritualibus sub Opid. D. Majoris.</sup>

38. D. Lütkemanni de Vero homine Diss. Physico-
Theologica in qua ventilantur qst. 1. An Christus
tempore mortis verus homo permanserit. 2. de
mundo intelligibili 3. de Paradiso primi hominis
habitu primo.

FINIS.





Disputationes Theologicae

Quibus

NATURA

& Principium Theologiae

explicantur

TRES

IN ACADEMIA HASSO-SCHAUMBURGICA


publicae disquisitioni expositae

AUCTORE ET PRAESIDE

Henrico Martino Eccardo

SS. Theol. Doctore & Profefs. ordinario.

EDITIO ALTERA.



*Valentinus Bernh.
Mylus.*

RINTELI,

Ex Officina PETRI LUCII Academiae Typographi,

MDCCCLVI.



Disputationes Theologicae
Quibus
M A T U R A
& Principia Theologiae

EX ACADEMIA HASTO-SCHUMBERGICA
AUCTORE ET PRAESIDE

Henrico Martino Leccardo
S. Theol. Doctore & Proles ordinario.
EDITIO ALTERA



PRINTED
IN OFFICINA PUBLICA
MDCCCLXXII

Nobilissimo, Excellentissimo &
Consultissimo Viro

Dno. Hermannno

MYLIO, in Snadenfeld/

Jcto, Comiti Palatino Cæsareo,
Illustrissimi Comitis Oldenburgici & Delmen-
horstani &c. Consiliario Intimo, Prætori
Provinciali in Kniphausen/rc.

Domino & Patrono meo Magno ac plurimum observando,
Salutem & Felicitatem.

S *Si primitivæ Ecclesiæ ætas
meritò aurea nuncipari que-
at cum ob eximium Pietatis
& sanctimonix studium, quo tria pri-
ma secula maximè nobilitantur, tum
ob insignes Doctores & veritatis pro-
pugnatores, qui seculo quarto & quin.*

A 2

to flo.

to floruerunt, nescio tamen, utrum su-
perius & hoc nostrum seculum ulli
priorum vel florentissimo eruditione
& rerum scientiâ cedat. Postquam
enim paulò ante reformationem non
sine divina providentia lux literarũ
è tenebris emerferat, dici non potest,
quantum perspicuitatis, splendoris i-
mò & integritatis omnibus discipli-
nis & cum primis S. Theologiæ acces-
serit: Ex quo tempore omnis generis
studia porro ita sunt excultata & in me-
lius aucta, ut eo nomine D E O Opt.
Max. immortales debeamus gratias.
In exemplum jam veniat ea saltim
Theologiæ pars, quæ vulgò compendi-

um

um sive Epitome Theologiae audit, Ca-
pita Doctrinae Christianae distincte
& convenienti methodo complexa.
Quamquam enim Patres sive priscae
Ecclesiae Doctores omnia tum credi-
tu tum factu ad salutem necessaria
diligentissime tradiderunt, pro re na-
ta etiam Christianae religionis veri-
tatem ab infidelium & haereticorum
portentosis erroribus feliciter asserue-
runt, in modum tamen disciplinae
Theologiam non proposuerunt sed san-
ctae simplicitati inherentes Symbolis
& Confessionibus contenti fuerunt.
Seculo post Christum natum octavo
Johannes Damasceus quidem &

X 3

duo-

duodecimo Petrus Lombardus locos
Theologicos in certum ordinem & sy-
stema quoddam redegerunt, verum si
horum opera cum iis conferantur labo-
ribus & scriptis, quæ hodie DE Ibe-
nificio & cum primis in protestanti-
Scholis prognata extant, animad-
verti datur, hæc illis uti accuratiora
& locupletiora, ita longè anteponen-
da esse. Cum itaq; officij mei ratio re-
quirat, ut præter S. Script. interpre-
tationem aliquod Theologiæ compen-
dium Studiosæ Juventuti explicem,
in id hætenus Deo auspice omni con-
tentione & nisu incubui, ut omnium
doctissimos Epitomatores Auditori-
bus

bus meis commendârim & prælege-
rim, quin etiam, si quæ in illis occurre-
rent dubia, instituto examine sic eno-
dârim, ut ne quid intactum relinque-
retur, quod discentiũ animos turbare
aut remorari posset. Hac fini ante
paucos annos aliquot ejus generis di-
sputationes publicare cepi, quarum
prioribus cum interea, dum reliquis pro
Respondentium numero pertexendis
occupor, distractæ essent, recudi oport-
uit. Quòd verò disputatiunculas
hasce illustri Tuo Nomini, Nobiliss.
& Excellentissime Vir, nuncupare au-
sus fuerim, fecit propensissima, quâ
cùm me tum fratrem meum prosequere-
ris,

ris, benevolentia. Volui ergo hoc mu-
nusculo Chartaceo meam in Te obser-
vantiam mentemq; gratam ostende-
re, etiam atque etiam rogans, ut illud
pro eo, quo in Literatos es affectu, h. e.
maximo & benevolo accipias; quod
quin facturus sis meque ulteriore fa-
vore Tuo dignaturus, nullus dubito.
Servet Te Deus, Nobilissime Myli,
& rempublicam prudentibus Consi-
liis Tuis uti haecenus ita imposterum
quoque fortunet.

Ita precor

Nobiliss. Excellentie

TUAE

observantissimus

Henricus Martinus

Eccardus D.

Gener.



Dissertatio Theologica
De Natura Theologiæ.

Resp. BARTHOLDO SCHOMBURG Lubbecens.

THESIS I.



Theologia est vox æquivoca.

1. Accipitur latè pro quavis doctrinâ de Deo sive verâ sive falsâ. 2. Sumitur strictè pro eâ saltem doctrinâ, quæ non nisi vera de Deo, ejusque cultu docet. Estq; hæc iterum duplex. 1. Naturalis, quæ ex principiis naturâ notis deducitur & cognoscitur. 2. Revelata, quæ ex Scriptura sacra unicè hauritur. Hæc iterum distinguitur in habitus fidei, quo omnes fideles sunt instructi. Et in habitus Theologiæ, qui in solis Ecclesiæ Doctores reperitur. Ultima acceptio est hujus loci.

II. Theologia ultimo significato accepta est habitus intellectus acquisitus, quo Doctor Ecclesiæ omnia doctrinæ Christianæ capita explicare, eadem ex sacra scripturâ deducere & confirmare, atq; contra adversarios defendere novit. Hæc definitio sive descriptio, fundamentum habet in ipsis sacris literis. Sic Paulus II. Timot. II. 24. in Doctore Ecclesiæ requirit, ut aptus sit ad docendum, & v. 16. qui rectè sermonem veritatis secet. Item Tit. I. 9. vult talem eum esse, qui tenax sit fidelis illius sermonis, qui ad doctrinam facit, ut possit & exhortari in doctrinâ sanâ & contradicentes convincere.

definitio Theol.

A

III. Porro

III. Porro dividitur Theologia in positivam sive Ecclesiasticam & Scholasticam sive Academicam. Theologia positiva sive Ecclesiastica usurpatur in Ecclesiâ & ea tradit, quæ Ecclesiastæ populum informanti & docenti scitu sunt necessaria. Est quidem præterea aliud docendi genus, quod Catechismus vocatur, in Ecclesia perquam necessarium, quo videlicet rudes in fide imbuuntur. Doctores olim Catechistæ, auditores Catechumeni dicebantur: Verùm cum hoc officio quoque fungi queat, qui rudimenta Theologiæ tantum tenet, id propriè Theologi non est. Alterum verò munus, quo nimirum doctrinâ Christianâ jam imbuti verbo divino ex ambone pascuntur, quin ad Theologiam propriè ita dictam pertineat, nullum est dubium. Talis enim Doctor, quem textum scripturæ explicare, assertionum suarum rationem reddere, errores & hæreses, si quæ in Ecclesiâ serpent, confutare, populum Christianum à vitiis deterrere, & ad virtutem ac pietatem cohortari oportet, omninò eruditione pollere debet, præsertim si non solum simplices Christianos, sed etiam doctos & ingeniosos habeat auditores.

IV. Academica Theologia est, quæ in illustribus scholis sive Academiis, unde etiam nomen sortita est, docetur. Et si verò tum Ecclesiastica tum Scholastica Theologia eadem doctrinæ Christianæ capita proponat, modo tamen tractandi & fine differunt. Nam proximus Ecclesiasticæ Theologiæ finis est fidem generare, generatam conservare & confirmare. Theologia verò Scholastica habitum Theologicum proximè pro fine habet, quippe quæ non simpliciter Christianos, sed eos informat, qui aliquando Ecclesiæ Doctores & Ministri sunt evasuri. Unde in scholis longè accuratior & prolixior tam scripturæ, quam locorum Theologorum requiritur tracta-

tractatio. Etenim, qui in Ecclesiâ docet, ei sufficit aliquem Scripturæ textum, qui ad propositum suum faciat, seligere, eundemquè breviter illustrare; articulos quoque fidei non nisi vocabulis communibus & à quovis intelligi aptis Ecclesiasten explicare oportet. At verò Academicus Theologus totius scripturæ interpretationem adornat, & commentarios textu, versiones ad fontem exigit, loca difficilia explanat, & quæ pugnare videntur, conciliat. Locos item Theologicos plenè & exactè tractat, nec quicquam eorum omittit, quæ in Theologiâ cognita aut necessaria aut utilia sunt. Plura hac de re vid. in B. Horneij. disp. Theol. part. I. disp. I. n. 18. & seqq.

V. Si quæras, utrum Theologia habitus practicus sit, an Theoreticus? Respondemus, eum esse habitus practicum. Nam omnes actus Theologiæ vel formaliter practici sunt vel saltem ad operationem ultimò diriguntur. Actus Theologici formaliter practici, i. e. qui per se ad divinas operationes diriguntur, in duplici sunt differentia: Vel enim præscribunt quid, & in quem sit credendum, & quomodo remissio peccatorum ac æterna salus sit obtinenda; vel præcipiunt quid faciendum vel fugiendum iis sit, qui vitam æternam consequi velint. Dantur præterea actus Theologiæ non formaliter practici, quales sunt actus, quibus mysteria Trinitatis & incarnationis cognoscuntur, qui tamen ita sunt comparati, ut ultimò ad aliquam operationem dirigantur. Non enim propterea quis cognoscit hæc mysteria, ut ea sciat saltem, sed ut in Deum cognitum credat eumque rectè colat, atque in merito Christi fiduciam & spem collocet. Hinc Joh. XX. 31. Hæc scripta sunt, ut credatis quod Iesus est Christus ille Filius Dei, & ut credentes, vitam æternam habeatis per nomen ejus.

VI. Cæterum ea, circa quæ Theologia principaliter versatur,

fatur, ad tria capita referri possunt. Primum continet articulos fidei, qui secundum veteres iterum distinguuntur in Theologiam strictè sic dictam & œconomiam. Theologia doctrinam de Deo, ejusque attributis, de Trinitate item ac creatione complectitur. œconomia vocatur, quæ de incarnatione agit, ad quam referuntur omnes cæteri articuli inde dependentes, v. g. conversio, justificatio hominis, resurrectio, &c. Secundum caput comprehendit mysteria vel Sacramenta, quorum alterum initiationis, est Baptismus, alterum confirmationis, Eucharistia. Tertium denique tradit doctrinam morum, juxta quam eum vivere oportet, qui Christiani nomine gaudet.

VII. Porro ut innotescat, quanta Theologiæ sit amplitudo, paucis ejus partes percurramus. Antequam verò illud fiat, breviter de iis etiam dicendum est, quæ etsi partes Theologiæ non sint, neque eam intrinsecè constituent, interim tamen in Theologiæ auditore necessariò præsupponuntur & præexiguntur. Et quidem taceo nunc ea, quæ Theologiæ Studio cum cæteris Christianis debent esse comunia, nimirum ut fidelis, pius & ab omnibus vitiis purgatus sit, de eruditione saltem & cognitione disciplinarum, quas Philosophicas vocant, hîc paucis agere animus est. Et quamvis tum harum tum etiam literarum & linguarum utilitatem pariter atque necessitatem, uti olim S. Aug. l. 2. de doctrinâ Christianâ, ita & nostrâ ætate tam prolixè & eruditè ostendit Beatus Calixtus in apparatu Theologiæ, nec non in tractatu & usu discipl. Epitomæ Theologiæ præfixo, ut aliquid addi non videatur esse opus; non possumus tamen, quin unicum de usu principiorum Philosophiæ in S. S. Theologia attingamus. Nempe, in probandis fidei articulis, iisque ex S. Scriptura deducendis sæpè usu venit,

tantum

vide Musæum
p. m. 39.

at

ut dogmata, quae non totidem literis & syllabis (verba sunt Chemnitii Exam. Conc. Trid. part. i. de tradit. gen. 5.) in sacra scriptura ponuntur, bonâ, certâ, firmâ & manifestâ rationatione ex perspicuis scripturae testimoniis colligantur. In hisce itaque necesse est, ut cum Scriptura unicam tantum propositionem suppeditat, altera ex Philosophia petatur, & cum Theologica propositione jungatur, ut ita perfectus fiat syllogismus. Sic contra Arrianos probaturi, Christum esse ejusdem essentiae cum Deo Patre, hoc utimur argumento:

Omnis verus & naturalis filius est ejusdem essentiae cum patre: //

Christus est verus & naturalis Dei Filius. //

E. Christus est ejusdem cum Deo Patre essentiae. //

Porro contra eosdem, Spiritum Sanctum non esse virtutem tantum Patris & Filii, sed peculiarem & ab iis distinctam personam, ostenditur hoc modo:

Cuiusque tribuuntur actiones, quae non nisi à re intelligente proficisci possunt, illud est persona. //

Atqui Spiritui Sancto tribuuntur tales actiones [nempe gubernat, docet, solatur, in nomine ejus baptizatur] Ergo Spiritus S. est persona.

Item contra Sabellianos sic infertur:

Quorum alter est gignens, alter genitus, illi differunt realiter:

Pater & Filius in divinis sunt gignens & genitus.

E. Pater & Filius in divinis differunt realiter.

Major in hisce syllogismis Theologicis est Philosophia, Minor Theologia. Quod si verò majorem propositionem omittas, Enthymema saltem habes, quo quidē in probationibus etiā

vide infra d. p.
de mysterio Trinit.
p. 23.
Item Musaei p. m.
38.

utimur, interim tamen, si adversarius consequentiam neget, defectum suppleas & integrum syllogismum formes, atque hac ratione consequentiæ bonitatem evincas necesse est. Hinc itaque quivis facile intelligit, quàm non utiles solùm, sed & prorsus necessariæ sint disciplinæ Philosophicæ Theologo, articulos fidei ex sacris literis demonstraturo.

VIII. Hisce ita præmissis, nunc ulterius, quænam Theologiæ partes sint, dispiciendum est. Sequemur autem ea in re Beatum Calixtum, ex cujus apparatu Theologiæ qui nondum absolutus est, adeoque paucorum manibus teritur, nonnulla in gratiam studiosæ juventutis excerpemus. Si quis igitur studium Theologiæ satis amplum rectè partiri velit, eum primas tribuere oportet Epitomæ, in qua omnia doctrinæ Christianæ capita certo ordine tractentur, & ex perspicuis Scripturæ dictis probentur, præcipuæ etiam hæreses, & errores tum veterum tum recentiorum notentur.

IX. Secundum ab hoc locum obtinere debet studium sacrarum literarum. Etenim cum Scriptura sacra principium Theologiæ sit, summâ cum diligentia in verum & genuinum ejus sensum, quem literalem vocant, inquirendum est, nec sufficit versionibus saltem uti, sed necesse est, ut hæc cum ipsis fontibus conferantur, quod sine cognitione Græcæ & Hebrææ linguæ fieri nequit. Adhibendi quoque sunt commentarii, qui egregium in scripturâ interpretandâ præstant adjumentum. Et cum Scriptura sacra potissimam partem continua quædam historia sit, Chronologiâ & Geographiâ etiam opus est, quippe sine quibus nulla historia rectè intelligi potest.

X. Tertiò historiæ Ecclesiasticæ est navanda opera. Est autem hic nobis sermo de historia non V. sed N. Testamenti: Et quidem cum hæc iterum duplex sit, alia, quæ ab ipsis Apostolis &

lis & Evangelistis divinitus est consignata, & alia, quæ à Doctoribus Ecclesiæ humano studio & operâ est conscripta, non priorem sed posteriorem saltem nunc intelligimus. Totum verò hoc studium, quoniam amplissimum est, in sex capita commodè distribui potest.

Primum continet omnium seculorum Imperatores.

Secundum eos Episcopos, qui sedibus Patriarchalibus præfuerunt, quarum antiquissimæ sunt, Romana, Alexandrina, Antiochena, hisce postea Hierosolymitana & Constantinopolitana accesserunt.

Tertium comprehendit Scriptores & Dd. Ecclesiasticos, qui iterum in quatuor classes dividuntur. Prima usque ad seculum septimum extenditur, cujus scriptores communiter Patres vocantur.

Secunda usque ad seculum 12. sese porrigit, atque mediæ ætatis Dd. continet. Tertia Scholasticos complectitur, qui usque ad tempus reformationis docuerunt. Quarta eorum Doctorum est, qui post tempus reformationis vixerunt, quorum alii Lutherani, alii Calviniani, alii Pontificii vulgò audiunt.

Quartum caput continet hæreses & schismata, quorum consideranda sunt initia, progressus & finis.

Quintum Synodos sive Concilia hæreticis opposita.

Sextum persecutiones & donâ miraculorum.

XI. Hisce tribus studii Theologici partibus subjungi potest quarta, quæ controversias tum veteres tum recentiores tractat. Quemadmodum autem hoc studium nostro præsertim seculo controversiarum tam ferace perquam est necessarium, ita etiam difficilimum sanè & arduum est. Oportet enim eum, cui cum adversariis solertibus & rerum suarum satagentibus, quales hodiè sunt, congregari animus est, disciplinis

Phi-

Philosophicis, & omni eruditione egregiè esse instructum, alias operam perdet, & cum dispendio bonæ causæ disputabit.

Sciendum autem controversias duplicis esse generis, alias fundamentales, alias fundamentum fidei non attingentes. De illis Theologo disputandum est vel cum infidelibus, quales sunt Pagani, Judæi, Muhamedani, qui totam fidem Christianam oppugnant, vel cum hæreticis, qui unum atque alterum saltem fidei articulum evertere moluntur. De his verò disputatur inter domesticos fidei salvo fidei fundamento & caritate Christianâ. Audiatur hac de re B. Meisnerus: *Notandum, inquit, quod dissensio alia sit fundamentalis in ipsa fide, alia minus principalis circa fidem. Et hæc posterior, quia dumtaxat consistit, vel in diversa certorum rituum observatione, vel in diversa textuum difficiliorum interpretatione, vel in diversa scholasticorum controversiarum & minus principalium decisione; Ipsos autem fidei principales articulos non attingit, ideo amicitiam & fraternitatem spiritualem non rumpit. Quare licet etiamnum Orthodoxi in nonnullis questionibus dissentiant, tamen si in fundamento conveniant, nec publicè turbas moveant, amici & fratres in Christo verè appellari queunt. hætenus Meisnerus.*

In Philos.
sobr. lect. 2.
c. 3. art. 4.





Disputatio Theologica
De Sacra Scriptura
 P R I O R

Resp. SCOTO BAKIO, Brechtenâ-Tremoniano.

THESIS I.



Uemadmodum in aliis disciplinis, ita etiam in S. Theologiâ per discursum ab uno progredimur ad aliud & ex quibusdam præmissis deducimus conclusiones. Ne autem detur progressus in infinitum, aut committatur circulus, subsistendum est in aliquo primo, ex quo videlicet cætera deducantur, & in quod resolvantur.

II. In serie proinde revelatorum respectu cognitionis nostræ aliquam dependentiam inter se habentium omnium primum principium est hoc: Q. Sacra Scriptura docet, est infallibiliter verum. Ex quo omnia ad salutem necessaria tum credenda tum agenda demonstrantur & deducuntur.

III. Notandum autem principium hoc: Quicquid Sacra Scriptura docet, est infallibiliter verum, dici primum respectu hominis Christiani. Is enim divinâ gratiâ motus certò credit S. Scripturam esse verbum Dei, ita ut potiùs quidvis pati mallet, quàm ullam ejus assertionem abnegare. Verùm respectu infidelis hoc non est principium, quippe qui procul dubio illud negat. Igitur si adversus illum alicui agendum fuerit, alium processum institui oportet.

*quicquid deus dicit illud è infallibiliter verum (princ. Phil.
 quicquid S. Scrip. dicit deus dicit &
 ergo S. Scrip. dicit ex: princ. Theol.*

IV. In



IV. In hoc ergò casu adhibenda sunt argumenta inducentia, quæ movent saltem ad credendum, & persuasionem sive fidem humanam generant, non autem evidenter convincunt, nec fidem divinam, quæ soli verbo Dei imputatur, efficiunt. Sunt autem motiva sive argumenta inducentia varia. Vel enim sunt miracula, quæ in primitivâ Ecclesiâ maximè vigebant; vel requisita veræ religionis; vel est Autoritas Ecclesiæ sensibilis externa: per hæc enim persuaderi potest infidelibus, ut judicent, se haut imprudenter facturos, si fidei Christianæ subscribant. Ubi tamen sciendum, alio modo esse agendum cum Pagano, qui Sacram Scripturam prorsus non admittit: & alio cum Judæo & Muhamedano, quorum alter cum V.T. recipiat; alter præterea etiam novum non repudiet, rectè ex his ipsis convinci possunt ac debent.

Definitio.

V. Est autem Scriptura Sacra verbum Dei à Prophetis Ebræo & ab Apostolis Græco Idiomate suggerente & dirigente Spiritu Sancto literis consignatum, erudiens nos de omnibus creditu & factu ad salutem necessariis.

1
revelatio
generalis
sive naturalis

2
specialis
sive supernaturalis

VI. Dicitur primò, Verbum Dei. Quo ipso denotatur causa efficiens principalis, nimirum Deus, qui per verbum se hominibus manifestavit, seu revelavit. Ubi sciendum, revelationem dupliciter accipi posse. I. pro eâ, quæ est per naturam facta, dum videlicet Deus mentibus nostris lumen naturæ indidit, quo naturaliter ipsum & res ab eo conditas cognoscimus, quo sensu Paulus Rom. I. 9. naturalem Dei cognitionem gentibus revelatam esse, asserit. 2. pro eâ, quæ supernaturali modo facta est per verbum, quo Deus Patriarchas, Prophetas & tandem Apostolos est allocutus. Imò quod ipse Christus in hisce terris vivâ voce docuit. Sicut in Epistola ad Ebræos c. I. id exprimitur: Multis vicibus multisque modis olim Deus locutus

locutus patribus in Prophetis, ultimis diebus hisce locutus est nobis in filio. In hac posteriori significatione revelationem hinc accipi facile intelligitur.

VII. Porrò notandum est, revelationem illam, quã Deus hominibus aliquid supernaturaliter notum fecit, ab Hebræis in quatuor species distribui. Prima vocatur נְבוּיָאָה Prophetia, quæ facta est vel per somnium vel per visionem. Sic enim ipse Deus Num. XII. 6. *Audite quæso, verba mea, si fuerit Propheta Domini inter vos, per visum ei me manifestabo aut per somniũ loquar ei.* Ita per somnium Deus locutus est Patriarchæ Jacobo, Gen. XXIX. 13. his verbis: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui & Deus Isaac: terram, in quã tu dormis, tibi dabo & semini tuo, &c.* Per visionem verò, quæ nihil aliud quàm incausis est, raptus fuit Paulus in Paradisum & audiuit ineffabilia verba, quæ non licent homini loqui; II. Cor. XII. 4. & 5.

VIII. Secunda revelationis species appellatur רוּחַ הַקֹּדֶשׁ Spiritus Sanctus, propterea, quòd ejusmodi revelatio facta est, per inspirationem Spiritus S. sine corporis aut sensuum mutatione. Qualis revelatio videtur contigisse Davidi, uti ipse fateatur, II. Sam. XXIII. 2. *Spiritus Domini locutus est per me & eloquium ejus (fuit) in lingua meã.* De eadem loquitur Petrus II. Ep. I. 21. *Non libitu hominis allata est olim Prophetia, sed acti à Spiritu S. locuti sunt sancti Dei homines.*

IX. Tertia vocatur אֲרִימוֹת הַבַּיִת illuminationes & perfectiones, quem modum revelationis Deus ipse instituit, Exod. XXVIII. 30. *Pones quoque in pectorali judicii Vrim & Thummim, eruntque super cor Pharaonis, cùm ingrediatur coram Domino.* Nempe Populus Israeliticus, si quando in rebus magni momenti, quid agendum esset, dubitabat, jubebatur adire summum Sacerdotem, qui indutus Ephod Deum

consulebat, atque per rationale iudicii, quod annexum erat Ephod, à Deo responsum accipiebat. Uti inter alia colligitur ex I. Sam. XXIX. 6. *Quum Saul consulisset Dominum, non respondit ei Dominus neque per somnia neque per Urim neque per Prophetas.* Contra David per illud Urim responsum impetravit à Domino, cum ipsi Saul insidias pararet, vid. c. XXIII. citati libri Samuelis.

+ X. Quarta dicitur *בִּירַת הַקּוֹל* filia vocis, quæ nihil aliud est, quam vox repercussa, qualis est Echo. Quanquam autem Rabbini per filiam vocis eam tantum revelationem intelligant, quâ Deus tempore templi secundi, postquam Prophetia desierat, se populo Israelitico manifestavit, non incommode tamen huc referri potest omne verbum vocale, quo Deus vel Angelus in Dei personâ homines tum in V. tum in N. Testam. est allocutus; qualis revelatio fuit illustris & solennis illa legis promulgatio Exod. XX. ut & vox Dei in Baptismo Christi & monte Thabor de cælo audita Matth. III. 17. & c. XVII. 5.

XI. Quicquid igitur Deus hisce quatuor modis revelavit, id omne verbi Divini nomine venit, quod primò ut omnibus hominibus innotesceret, jussu Dei fuit prædicatum, & deinde, ut eò melius ad posteritatem derivari possêt, in literas est relatum, quod nunc Sacra Scriptura dici consuevit. Hoc verbum Dei iterum tripliciter considerari potest. 1. Quoad sensum tantum, quemadmodum Symbolum Apostolicum rectè dicitur divina doctrina seu Dei verbum, etiamsi iis verbis, quibus illud proponitur, in sacris literis non contineatur, sufficit quod secundum rem & sententiam Sacra Scriptura idem dicat. 2. Prout in versione aliquâ contineatur, & sic versiones, modò sese rectè habeant & originali textui per omnia respondeant, verbum Dei sunt, non solum quoad rem, sed etiam quoad voces.

ces.

ces. 3. Prout habetur in illo idiomate, quo usi sunt Prophetæ & Apostoli & hoc in summo gradu verbum Dei est, cui nec Symbola nec versiones æquandæ aut præferendæ sunt. 3

XII. Secundò dicitur in definitione Scripturæ: *Suggerente & dirigente Sancto Spiritu, verbum Dei à Prophetis & Apostolis literis consignatum esse.* Et si enim homines fuerint, qui scripserunt, verbum tamen nihilomin⁹ divinum est, eò, quòd sine inspiratione & assistentia Spiritus S. nihil scripserint, & haud aliter ac amanuenses, quorum mente, manu & calamo, uti instrumentis, Deus est usus, sese habuerint. Etenim res S. literis comprehensæ maximam partem humanum captum superant, qualia sunt mysteria Trinitatis & incarnationis, adeoque non nisi suggerente Spiritu S. scribi potuerunt. Continentur quidem præterea multa verbo Dei, quæ Sacris Scriptoribus aliunde sive per lumen naturæ sive per experientiam sive per diligentem inquisitionem innotuerant, in iis tamen consignandis divinâ assistentiâ & S. Spiritus directione opus erat: ut ne quicquam, quod à re, vero aut decoro alienum esset, conscriberent. 11.

XIII. Hinc patet S. Scripturæ autoritatem, quoniam à Deo est, prorsus divinam esse. Quod ut intelligatur, notandum est, autoritatem, prout hîc capitur, nihil aliud esse, quàm perfectionem sive excellentiam Autoris moventem alicujus vel intellectum ad assentiendum vel voluntatem ad obædiendum. Perfectio movens alicujus voluntatem ad obædiendum est jus & potestas, quam quis habet in alium; Perfectio verò movens alicujus intellectum ad credendum est sapientia & bonitas, quarum utraque Autorem veracem reddit, illa errorem, hæc studium decipiendi excludens. Unde sequitur, quò quis majori vel minori potestate, sapientiâ & bonitate præditus est,

eò majorem vel minorem habere auctoritatem. Itaque cum Deus sit summè Sapiens, summè bonus, atque in omnes homines plenissimam habeat potestatem, etiam summæ est auctoritatis. E. si qua lex aut doctrina aut scriptura à Deo profecta fuerit, efficacissima, certissima & infallibilis erit.

XIV. Spissum igitur errant errorem illi Pontificij, qui scripturæ auctoritatem ita ab auctoritate Ecclesiæ suspendunt, ut hanc auctoritate scripturæ majorem faciant; inter quos est Gregorius & Sylvester Prierias, à quibus, cum nunc alii ex ipsis Pontificiis divortium faciant & veram sententiam amplectantur, non opus est, ut prolixam confutationem instituiamus. Audiamus saltem Becanum, qui Tomo II. Scholasticæ Theologiæ, Tractat. I. de fide, cap. I. quæst. II. num. IX. in hunc modum sibi objicit, & itidem ad objectionem respondet. Dicit: *Assensus fidei videtur ultimo resolvi in auctoritatem Ecclesiæ. Nam si quæram, quare credis articulos fidei? Respondebis, quia Deus revelavit: Si iterum quæram, quare credis, Deum revelasse? Respondetur: Quia Ecclesia Catholica hoc dicit. E. ultima resolutio fit in Ecclesiam. Respondeo: Tripliciter credi potest Deum hoc vel illud revelasse. Primò propter se, & tunc est assensus fidei Theologica de quo hic agimus. 2. Propter auctoritatem Ecclesiæ dicentis, & tunc non est assensus fidei Theologica, sed alterius inferioris ordinis. 3. Propter auctoritatem hominis, & tunc est assensus fidei humana. Primus assensus sic explicatur: Credo Deum hoc revelasse, non propter aliud, sed immediate propter se. Secundus sic: Credo Deum hoc revelasse, quia Ecclesia dicit. Tertius sic: Credo Deum hoc revelasse, quia homo dicit. Itaque primus assensus non resolvitur ulterius, sed sistit in ipsa revelatione divina, quæ creditur propter se ipsam. Secundus resolvitur in auctoritatem Ecclesiæ. Tertius in auctoritatem*

p. 291

tem hominis. Idem opusc. de Circulo Calvinistico autoritatem Ecclesiæ inter motiva sive argumenta inducentia refert, & dictum illud August. Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret autoritas, rectissimè hisce verbis explicat: loquitur Augustinus de acceptatione fidei, non de fide ipsa secundum se. Nam si sermo sit de fide secundum se, procul dubio crederet Evangelio propter revelationem Dei. At quia sermo erat de acceptatione fidei, inquit, se autoritate Ecclesiæ induci aut permoveri, ut fidem Evangelii acceptet. p. 875.

XV Cæterum cum autoritas neque ad assentiendum neque ad obsequendum quempiam moveat, nisi prius fuerit cognita & perspecta, quæritur, unde autoritas Sacra Scriptura, quippe quæ maximam sui partem abstrusissima continet mysteria, adeoque eorum veritas lumine rationis cognosci nequit, nobis innotescat? Respondemus, eam nobis innotescere ex speciali illâ ἐνεργείᾳ sive efficaciam verbo Dei innexâ. Per hanc Spiritus S. in nobis verbum Dei audientibus vel legentibus producit fidem divinam, quâ credimus & certissimi sumus, Sacram Scripturam à nemine nisi ab ipso Deo esse profectam. Si verò alteri, qui ignorat aut dubitat, Scripturam Sacram esse divinam, id probandum sit, hæc fides, quia interna est, & nemini nisi eam habenti nota, non est idonea, quâ probetur vel autoritas vel canon Scriptura, sed tum adhibenda sunt argumenta à testimonio Ecclesiæ vel aliunde petita. Prisca enim Ecclesia, quæ αὐτόγραφα Prophetarum & Apostolorum vidit, optimè de genuinis Scripturae libris testari potest.

XVI. Porrò cum S. Scripturae autoritas tum efficacia hominis intellectum & voluntatem moveat, iterum quæritur, utrum illud uno eodemque an diverso fiat modo? Resp. utramque diversimodè movere. Efficacia enim verbo Dei indita movet

mouet Physicè sive in hominis intellectum & voluntatem realiter influit; in illo assensum, in hac fiduciam & obsequium producendo. Autoritas verò mouet ut ratio sive causa formalis obiectiva, propter quam credimus: Nam Deus quatenus est prima veritas revelans est formale obiectum fidei, in quod ultima fit resolutio. Si enim quæram, quare credis, E. G. My-
 sterium incarnationis? Respondebis, quia Deus revelavit. Quod ut intelligatur, notandum est, obiectum fidei esse duplex, nempe materiale & formale. Materiale sunt res à Deo re-
 velatæ, quas credimus. Formale est autoritas Dei revelantis, sive ipse Deus quatenus verax est. Dicitur Formale, quia hoc ipso fides divina distinguitur ab humana fide. Hæc enim talis est, quia autoritate hominis; illa, quia Dei autoritate nititur: & tamen utraque esse potest circa idem obiectum materiale.

XVII. Hisce ita explicatis ulterius cognosci oportet, quot & quos numero libros S. Scriptura contineat. Vocantur autem libri Scripturæ Canonici eò, quòd pietatis, fidei & religionis unica regula & norma sint. Distinguuntur iidem ratione temporis in libros V. & N. Testam. Illi Christum typis & figuris adumbrant, ejusque adventum promittunt; hi præsentem & exhibitum nunciant, dum perspicuè exponunt, quomodo salutis nostræ causâ natus, passus & mortuus fuerit, resurrexerit, in cœlos ascenderit, quomodo item jussu ejus per Apostolos Evangelium omnibus gentibus prædicatum fuerit, & quem effectum prædicatio illa sortita sit.

XVIII. Libri Vet. Test. iterum in tres ordines sive classes distinguuntur, quam partitionem ipse Servator comprobat Luc. XXIV. 44. Oportet, inquit, impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis & Psalmis (quibus omnia Hagio-
 grapha comprehendit, quia primus eorum liber est) de me.

Prima

Prima itaque classis continet libros Mosis & legis. Secunda ¹ Prophetas priores & posteriores. Prophetæ priores nominibus suis ferè omiſſis conſcripſerunt historicos libros ſequentes; nempe librum Joſuæ, Judicum, duos Samuelis & duos Regum. Posteriores nominibus ſuis appoſitis prophetias expoſuerunt, quales ſunt Eſaias, Jeremias, Ezechiel, Hoſeas, Joel, Amos, Obadiah, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Zephaniaſ, Aggeus denique, Zacharias & Malachias. Tres primi Prophetæ majores, reliqui minores audiunt. Tertia classis ³ complectitur Pſalterium CL. Pſalmorum, Proverbia, Canticum canticorum, Eccleſiaſten, Jobum, Ruth, Threnos, Eſther, Daniel, Eſdram & Paraliſpomena.

XIX. Libri N. T. ſunt quatuor Evangelici, nempe Matthæi, Marci, Luçæ, Johannis, acta Apoſtolorum Luçæ, epiſtola Pauli tredecim, una ad Romanos, duæ ad Corinthios, una ad Galatas, una ad Ephēſios, una ad Philippenſes, una ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, totidem ad Timotheum, una ad Titum, & una ad Philemonem; epiſtola ad Hebræos, duæ epiſtolæ Petri, tres Johannis, epiſtola Jacobi, epiſtola Judæ, apocalypſis Johannis: & quamvis de autoritate quorundam poſteriorum librorum nonnulli aliquando dubitarint, à pluribus tamen recepti & pro Canonicis habiti ſunt, ita ut de iis hodiè nulla amplius ſit controverſia.

XX. Cæterùm quod libros Vet. Teſtam. concernit, illis Pontificij ex præſcripto concilij Tridentini ſuperaddunt alios, quos pariſ cum cæteris autoritatis eſſe volunt, diſſidentibus anathemate damnatis. Verba Concilij ſunt. Sesſ. 4. Si quis libros hos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſiâ Catholicâ legi conſueverunt, & in veteri vulgatâ latinâ editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit, anathema ſit.

C

ſit.

fit. Sunt autem illi libri, Tobias, Ecclesiasticus, liber Sapientia, liber Judith, libri duo priores Maccabæorum, liber Baruch, VII. ultima capita lib. Esther, ut is in græco & latino extat, hymnustum puerorum, Daniel. III. Historia Susannæ cap. XIII. Historia Beli & Draconis cap. XIV. quæ & ipsa non in Hebraicis, sed græcis & latinis tantum codicibus reperiuntur.

XXI. Verum in eo enormiter aberrarunt Tridentini, ut vel hoc unicum ad Synodum illam rejiciendam sufficiat. Nam universa Ecclesia tum Vet. tum N. Test. libros modo enumeratos, nunquam pro canonicis habuit, neque pari pietatis affectu & reverentiâ cum cæteris suscepit. Quod dudum à Theologis nostris est demonstratum. Videntur quidem nonnulli patres Latini, ut S. Augustinus, Innocentius & Gelasius, item Canon quadragesimus secundus Concilii Carthaginensis tertij Pontificiorum sententiâ favere, dum libros istos, quos cæteri patres vel prætereunt vel excludunt, non modo Canonicis immiscent, sed etiam Canonicos appellant. Verum si in eorum mentem quis rectè inquisiverit, percipiet, eos sese consensui totius Ecclesiæ sive concordia priorum quatuor seculorum testimonio nunquam opposuisse & sic Pontificiis nullo modo patrocinari.

XXII. Quod ut ostendamus, sciendum est, libros illos, quorum sancti patres fecerunt mentionem, in triplici esse differentiâ. Quidam enim sunt canonici strictè ita dicti, illi scilicet de quibus constat esse revera *θεοπνεύτως*, qui que soli adhiberi possunt & debent ad probanda fidei dogmata. Deinde sunt libri Ecclesiastici, qui quamvis eâ autoritate non sint, ut articuli fidei ex iis probari possint, rectè tamen in Ecclesiâ leguntur, quia tum monitis, tum præceptis, tum exemplis, quæ iis continentur, ad exercitium pietatis & ædificationem morum

omnino catholice
liber

obj.

obj.

z

nl

rum

rum multum faciunt. Tandem sunt libri Apocryphi itidem 3
strictè accepti, nempe supposititij, inutiles & noxii, qui pro-
 pter immixta, falsa & erronea indigni sunt, ut in Ecclesia le-
 gantur. Ob quam causam à S. Patribus simpliciter sunt rejecti.
 Nunc sapè fit, ut secundi ordinis libri, ecclesiastici videlicet, à
 Scriptoribus latà acceptione, rarò quidem canonici, sæpiùs
 verò apocryphi appellentur.

XXIII. Hisce præmissis, asserimus, S. Augustinum, In-
 nocentium, & Gelasium vocabula canonis & canonici, cum
 nimirum ecclesiasticos appellant canonicos, aliquantò latius
accipere, ut hac ratione omnes illi libri canonici sint, quos ec-
 clesia recipit, sive sint canonici strictè ita dicti, ex quibus do-
 gmata fidei unicè hauriuntur, sive ecclesiastici, qui ad ædifica-
 tionem plebis in Ecclesia leguntur. Audiamus ipsum S. Au-
 gustinum lib. II. contra epistolam Gaudentij cap. XXIII. *Hanc*
quidem Scripturam, inquit, quæ appellatur Maccabæorum non
habent Iudæi, sicut legem, & Prophetas, & Psalmos, quibus Do-
minus testimonium perhibet, tanquam testibus suis, sed recepta
est ab ecclesiâ non inutiliter, si sobriè legatur & audiatur, maxi-
mè propter illos Maccabæos, qui pro lege Dei, sicut veri Martyres
à persecutoribus tam indigna atque horrenda perpessi sunt, ut e-
tiam hinc populus christianus adverteret; quoniam non sunt
condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ re-
velabitur in nobis Idem lib. XIIX. de Civit. Dei cap. XXXVI.
 cum Prophetas secundi templi & Esdram commemorasset,
 hæc subjicit: *Ab hoc tempore apud Iudæos restituto templo non*
Reges sed Principes fuerunt usque ad Aristobulum, quorum
supputatio temporum non in Scripturis sanctis, quæ canonica,
 (hic sumit vocem canonici strictè) *appellantur, sed in aliis in-*
venitur, in quibus etiam sunt Maccabæorum libri, quos non Iu-
 C 2 dei,

dei, sed Ecclesia pro Canonicis (hic sumit vocem canonici late) habet, propter quorundam martyrum passiones vehementes atque admirabiles, qui antequam Christus venisset in carnem usque ad mortem pro Dei lege certaverunt, & malagravissima atque horribilia pertulerunt. Ex quo evidenter elucet, Augustinum eo loco non habere libros ecclesiasticos, quo habet verè canonicos; imò duplici acceptione Canonicos usurpare; nisi velimus statuere, S. Doctorem in uno eodemque loco sibi ipsi contradixisse. Eodem modo capiendos & intelligendos esse cæteros patres, Innocentium, Gelasium, & qui hos sequuntur, imò ipsum Concilium Carthaginiense, nullum est dubium. Huic videlicet Augustinus interfuit, & quæ Concilii mens fuerit, optimè intellexit, & proinde ejus quasi interpres habendus erit. //

XXIV. Necessè autem omninò est, ut explicatio vel potius conciliatio, quam paulò ante attulimus, admittatur; nisi velimus statuere, Innocentium, Augustinum, Gelasium, cum universa Ecclesiâ tum Vet. tum N. Test. pugnare. Nam non solum scriptores & patres priorum quatuor seculorum, sed etiam posteriores doctores omnes ante concilium Tridentinum Hebræorum canonem amplectuntur, nec unquam ecclesiasticos canonicis æquant. Ex multis unicum, nempe Nicolaum Liranum, qui seculo decimo quarto vixit, nunc adducamus. Is præf. in Tobiam: Postquam auxiliante Deo, inquit, scripsi super libros S. Scripturæ canonicos, incipiendo à principio Geneseos & procedendo usq; ad finem Apocalypseos; de ejusdem confisus auxilio super alios intendo scribere, qui nō sunt de cano-
ne, scilicet liber sapientiæ, Ecclesiasticus, Judith, Tobias, & libri Maccabæorum, secundum Hieronymum in prologo galeato, &c.

XXV. Seculo decimo quinto Synodus Florentina quidem,
 ut

ut Caranza habet (nam canon iste de scripturis in tomis conciliorum non extat) laxiorem illum catalogum, cui apocryphi immixti sunt, proponit; Verum aut hæc Synodus pari modo explicanda est, ut Carthaginensis, aut nullius autoritatis eam esse, statuendum: quippe cum decreto ejus minime steterint doctores Latini posteriores. Nam Antoninus Archiepiscopus Florentinus, qui ipse Concilio interfuit, Hebræorum Canoni acquiescit æquè ac antecessores sui. Antonino cõsentiant alij, inter quos est Alphonsus Tostatus, cujus testimonium dignum est hìc legi. Is præfat. in Matth. quæst. 3. Libri, inquit, nonnulli dicuntur apocryphi, quia non constat de eorum scriptoribus, an Spiritu S. dictante scripserint & etiam non constat de omnibus, quæ in iis habentur, an vera sint; non est tamen in iis aliquid, quod manifestò falsum sit, vel quod valde suspectum sit de falsitate; Hoc modo sunt apocryphi libri quidam, qui ponuntur extra canonem V. Test. computantur tamè inter libros S. Scripturæ, scilicet liber Sapientia & Ecclesiasticus & Judith & Tobias & libri Maccabæorum: de auctoribus enim horum non constat ecclesiæ, an Spiritu S. dictante scripserint; non tamen reperit in eis aliquod falsum, aut valde suspectum de falsitate, sed potius in eis est doctrina copiosa, sancta & devota. Ideò Ecclesiæ legit illos & computat inter libros suos. Ex dictis itaq; patet, graviter errasse Tridentinos, dum libros sive Ecclesiasticos sive apocryphos tanquam canonicos non solum obtrudere, verum etiam tot sanctorum Patrum imò universæ Ecclesiæ tum Veteris tum Novi Testamenti doctrinam & testimonium anathemate ferire non sunt veriti.

XXVI. Possemus hìc subsistere atque Deo pro agnitâ veritate gratias agere, sed ut manifestum fiat, advariarios nihil habere, quod objiciant, nisi scopas dissolutas, unum atque al-

terum ex Becano, qui magno quidem sed irrito conatu pontificium canonem probare satagit, nunc adferemus. Is Tra&. de fide c. III. quæst. I. num. III. ait: Hic canon habetur in Concilio Tridentino Sess. IV. & Patres illius Concilii acceperunt illum per traditionem ab Eugenio Papâ in Concilio Florentino. — Rursum Eugenius illum accepit à Gelasio Papâ in Concilio Romano. — Iterum Gelasius ab Augustino — & Augustinus à Concilio Carthaginensi — denique Patres hujus Concilii ab Innocentio primo. — Igitur ab illo tempore primitiva Ecclesiæ ad nos usque per continuum traditionem perseverat idem ille scriptura canon, quem nos Catholici nunc tenemus & amplectimur.

XXVII. Verùm ut jam non dicamus, quòd hic Becanus à Concilio Tridentino ad Innocentium usque retrogre-diatur, cum tamen ipsum oportuisset ordinem invertere & non ab Innocentio, sed à priorum seculorum Patribus initium facere, & sic per continuum traditionem canonem istum probare; nunc saltem à Becano & cæteris pontificiis requiri-mus, ut continuum illam traditionem, quam jactant, nobis monstrent. Tam Judæi enim, quàm doctores priorum qua-tuor seculorum pontificium canonem ignorant. Unde ergò eum accepit Innocentius? Deinde inter Gelasium & Euge-nium mille propemodum anni intersunt & præter Innocen-tium, Augustinum, Gelasium, Cassiodorum, Isidorum, Raba-num, ante Synodum Florentinam nemo Ecclesiasticos annu-merat canonicis (quamvis & hi ipsi ecclesiasticos canonicis non æquent) sed omnes unanimiter antiquo canoni, quem nos amplectimur, inhærentes, canonicos ab Ecclesiasticis ac-curatè distinguunt. Præterea nec doctores concilio Florenti-no posteriores catalogum illum Eugenianum sequuntur, ut hæctenus probatum est: imò ecclesia græca in hunc usque

*Si patres 2^o tertij, quart^o seculorum non concordant diem
unde Innocentio certitudo libri canoniconum iniquit
ex traditione id non habuit, cum nullum Concilium
nulli dicitur adferre possint.*

diem alium, quàm Hebræorum canonem nunquam agnovit. Ergò continua illa traditio nulla est.


XXIIX. Excipit quidem Becanus primò, non necesse esse, ut illi soli libri apud nos Christianos habeantur canonici, qui tales habiti sunt apud Judæos. Rationem reddit: *Quia canon Iudæorum, ait, consignatus fuit ab Esdrâ, vel saltem tempore Esdræ, ut plerique tradunt. At tempore Esdræ nondum scripti erant libri Maccabæorum: quid ergò mirum, si in illum canonem relati non fuerint?* Respondemus, omnino necesse esse, ut soli illi veteris fœderis libri habeantur canonici, qui apud Judæos tales habiti fuerunt. Libri verò Maccabæorum non tantùm non Esdræ, sed nullo unquam tempore Israeliticæ Ecclesiæ, sive apud Judæos fuere canonici. Quin quia post ætatem Esdræ desierunt esse Prophetæ, nulli deinceps prioribus canonicis accedere potuerunt alii vel novi. Neque ecclesia habet potestatem, quâ faciat librum canonicum, sed saltem testatur, hunc vel illum esse talem. Jam verò, si nullum apud Judæos extat testimonium, libros v. gr. Maccabæorum esse canonicos, & instinctu Spiritus Sancti scriptos, uti reverâ non extat; unde quæsumus, quòd canonici sint, innotuit Ecclesiæ Novi Testamenti? Ita argumentamur. *Si Ecclesia N. Testam-* Aristum *enti certa est, libros Maccabæorum esse canonicos, eam certitudinem adeptam est, aut ex testimonio Vet. Ecclesiæ, aut ex peculiari revelatione. Sed nec ex peculiari revelatione, ut ipsi pontificij concedunt; nec ex testimonio Vet. Ecclesiæ Judaicæ. Ergò certa non est, libros Maccabæorum esse canonicos, & per consequens certitudinem aliis neque testimonio neque determinatione suâ impertire potest.*

XXIX. Secundò, si *objicias*, non solos Judæos, sed etiam 2 obi: christianos & antiquos Patres, qui scripserunt ante Innocen-
tium

tium & Augustinum, exclusisse libros Ecclesiasticos à cano-
 ne; regerit, canonem, quo nunc utantur Christiani, tempore
 isto nondum fuisse determinatè definitum. Primum qui le-
 gitimè definiverit, fuisse Innocentium Papam, quem deinde
 cæteri sint secuti. Respondemus iterum, si Innocentius defi-
nivit libros Ecclesiasticos esse revera canonicos, unde ipsi in-
notuit, illos esse tales? aut enim hoc cognovit ex testimonio
 antiquiorum, aut ex peculiari revelatione. Sed neutrum re-
 ctè assertitur, uti constat. Innocentio itaque nullum ejus defi-
 nitionis fundamentum suppetebat. Ergò non definivit, aut
 si definivit, erravit. Adde quòd absurditatis plenum sit, Eccle-
 siam usque in quintum seculum & tempora Innocentij certo
 scripturarum canone caruisse. Cætera, quæ opponi solent, ad
 ipsum conflictum rejicimus. Qui interim vult, videat, quæ
 hac de re fusiùs disputavit Clariss. B. Calixtus Exercitatione de
 Autoritate & Canone Scripturæ Sacræ contra
 Pontificios.

F I N I S.





Disputatio Theologica
De Sacra Scriptura
POSTERIOR

Resp. VVILHELMO STRATEMANNO Osnabr.

XXX.



Tertio, dictum est supra in definitione scripturae, *verbum Dei à prophetis Ebraeo & ab Apostolis Græco idiomate in literas esse relatum.* Ex quo patet, *textum Ebraicum & ex parte Chaldaicum in veteri, Græcum verò in Novo*

Testamento esse authenticum sive primigenitum, ad quem cum solus *Ἰεσους* & infallibilis sit, omnes versiones, quippe quæ industriâ humanâ tantum adornatæ sunt, examinari debent adeoque hoc nomine eo inferiores sunt. Hinc rectè Hieronymus epist. xxix, ad Lucinium. *Vt veterum, inquit, librorum fides de Hebraicis voluminibus examinanda est; ita novorum Græci sermonis normam desiderat.* Et Epist. cxxx. ad Suinam & Fretelam; *Sicut in N. T. si quando apud Latinos quaestio exoritur & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo novum scriptum est instrumentum; ita in V. T. si quando inter Græcos Latinosque diversitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem, ut quicquid de fonte proficitur, queramus in rivulis.* Idem docet S. Augustinus l. xv. de civitate Dei cap. iii *Rectè fieri nullo modo dubitaverim, ut cum diversum aliquid in utrisq; codicibus invenitur, ei lingua potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio.* Vide præterea l. ii. de doctrinâ Christianâ cap. xiii, ubi eadem pluribus inculcat.

D

Gravis



XXXI. Gravis itaq; est Tridentinorum lapsus, qui vulgatam versionem, de cuius Autore nemini certo constat, tanquã authenticam Ecclesiæ obtrudere haut sunt veriti. Verba eorum sunt sess. 4. Sacro-sancta synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex multis Latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quæ authenticam habenda sit, innotescat, statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in Ecclesiâ ipsâ probata, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus aut expositionibus pro authenticâ habeatur & quod eam nemo rejicere quovis prætextu audeat vel presumat. Hinc Gregorius de Valentia: Ecclesiâ, ait, fontes definitione suâ non probavit, versionem probavit. Nempe Ecclesiâ pontificia, particularis vel potius Pontifex Romanus pro suâ omnipotentiâ eam probavit, quæ tamen nec ab Apostolis est profecta, neque à primitiva Ecclesiâ unquam pro authentica fuit habita. Tanta autem est vis veritatis, ut ea Bellarmino l. II. de verbo Dei cap. IX. hanc confessionem expresserit: negari non potest, quin sint fontes scripturarum anteposendi rivulis versionum, quando constat, fontes non esse turbatos. Sed certò constat, fontes non esse turbatos. Id enim pugnaverit cum providentiâ Dei, cui salus hominum adeò est curæ, ut minimè permittat vel aboleri, vel perenni adulterio corrumpi, quod ad humanam salutem unicè necessarium est divinitusq; datum & ordinatum. Quin si providentiâ Dei factum, ut rivuli sint incorrupti, cur non etiam fontes? Rectius profectò Arias Montanus præfatione in Biblia, quæ interlinaria dicuntur: Dei inquit, consilio factum putamus, ut cum magna Græcorum Latinorumq; ferè omnium ejusdem autoris exemplarium, ac præsertim manusciporum pluribus in locis varietas deprehendatur, magna tamen in omnibus Hebraicis quæcunque nostro seculo inveniuntur, Bibliis, scriptio-

ptionis equalitas, similitudo & constantia servetur, quocunque modo illa scripta sint sive solis consonantibus constant, sive punctis etiam instructa visantur, Item: *Quantâ integritate S. Biblia in eâ linguâ, quæ sancta appellatur, semper conservata fuerint, plerique doctissimi viri constantè adseverarunt, idque à nobis aliquando demonstrabitur.*

XXXII. Quartò in definitione scripturæ suprâ propositâ asseritur, eam nos *erudire de omnibus creditu & factu ad salutem necessariis.* Quo ipso sacra scripturæ sufficiencia significatur. Ubi tamen observandum, duplici modo aliquid sacra scripturâ contineri, i. expressis verbis & secundum literam 2. Per consequentiam tantum. Jam verò etsi non omnia doctrinæ Christianæ capita totidem literis & syllabis in libris canonicis contineantur, sufficit tamen, quod secundum rem & sententiam in iis extent, ita ut per bonam & manifestam consequentiam inde deduci possint. Nec obstat, quo minus S. scriptura unicū & sufficiens credendorum principium sit, quod in eruendis fidei dogmatibus sæpe principium philosophicū adhibere necesse habeamus. Etenim conclusio illa, quæ ex duabus præmissis, quarum altera Philosophica, altera Theologica est, eruitur, nō ad Philosophiam sed ad Theologiam tantum spectat. Ratio est: quia conclusio Theologica non à principio Philosophico, quippe quod commune & proinde ad diversarum disciplinarum conclusiones indifferens est, sed à principio Theologicæ tanquam proprio & domestico ad esse Theologicum sive ad speciem Theologicæ conclusionis determinatur. Quemadmodum enim effectus particularis, etsi ab universali causâ quoque dependeat, non ab eâ tamen sed à particulari causâ uti ad certam speciem determinatur, ita & denominatur; sic quoq; eâdem ferè ratione in S. Theologiâ imò in quâlibet disciplinâ usu venit, ut conclusio non à principio pluribus disci-

plinis communi sed à proprio atque domestico, quod eam ad certam disciplinæ speciem determinat, denominationē accipiat. Plura hac de re eruditè proposita vide apud Dn D. Johannem Musæum Profess. Jenensem l. ii. de usu principum philosophiæ in controversiis Theologicis C. XIII. §. XIX. & seqq. Unicum saltem hic nota, scilicet, eum non esse articulum fidei, quem nudius tertius hic aut ille ex scripturâ demū eruerit, nedū qui elapso uno atq; altero anno adhuc eruendus sit, sed uti fides Apostolica statim cū ipsâ Ecclesiâ cepit, ita etiam omne illud, quod tamquã cognitu ad salutē necessarium per evidentem consequentiam ex verbo Dei eruendū fuit, dudum erutum est. Hinc Marc. Anton. de Dominis l. 6. c. 1. n. 32. *Certa atq; infallibilis (ait) regula est, ut nihil de divinis rebus affirmemus, nisi quod vel sacra nos docet scriptura: vel ex eadē scripturâ potest planè & facili ratione deduci & est à sanctis patribus deductum & explicatum; atq; in Ecclesiâ universâ receptum.*

Arg. XXXIII. Sed pontificii hic nobis iterum litem movent, negantes, omnia, quæ ad salutem cognitu sunt necessaria, canonicâ scripturâ contineri: quædam enim fidei dogmata solâ traditione non scriptâ ecclesiæ innotuisse afferunt. Est autem traditio non scripta secundum pontificios verbum Dei, quod Apostoli & scriptores πρόπρευροι non literis, sed vivâ voce ecclesiæ tradiderunt, etiamsi deinde ab aliis post secutis ecclesiasticis videlicet scriptoribus in literas sit relatum. Sanè si certò constet, tale verbum ab Apostolis esse profectum, id æq; recipiendum foret ac scriptum. Verùm unde probabunt pontificij, dari ejusmodi verbum? ex sacrâ profectō scripturâ id probari nequit, sed potius contrarium. Ipse Christus doctrinâ suam non ex traditione, sed ex sacrâ scripturâ V. T. confirmat, quando contra Saducæos disputat & resurrectionem mortuorum adstruit. Matth. xxii. 32. Idem cū duos è discipulis suis

in E-

in Emaus euntes informat, sacram scripturam explicat & se oportuisse pati, inde ostendit. Hinc jubet scrutari scripturas Joh. V. 39. Et simul approbat, quod Judæi in eâ vitam æternâ se habere judicabant. Et Luc. xvi. 29. Diviti epuloni roganti, ut fratres sui monerentur de loco tormentorum, respondetur: Habent Moſen & Prophetas, illos audiant. Ex quo patet, in Moſe & Prophetis omnia contineri, quæ ad salutem hominibus cognitu sunt necessaria, ut non opus sit ex mortuis quempiam resurgere, qui illos doceat. Si igitur scriptura V. T. sufficienter continebat necessaria ad salutem, multò magis scriptura N. T. eadem continebit. Plenior enim est & perfectior, & eam, quæ in Veteri fuit, supponit.

XXXIV. Quod testimonium Ecclesiæ concernit, certum etiam est, pontificios verbi sui traditi in totâ antiquitate nullum habere fundamentum. Quin non solum S. Patres in prioribus quinque seculis, verum etiam posteriores Doctores omnes (Tridentinis exceptis) nullum aliud Dei verbum, præter id, quod scriptum est, agnoscunt. Ex multis paucos nunc audiemus. S. Irenæus, qui secundo seculo vixit, l. IV. c. LXIII. hæc habet: Agnitio vera est Apostolorum doctrina & antiquus ecclesiæ status in universo mundo & charactere corporis Christi, secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quæ in unoquoque loco est, ecclesiam tradiderunt, quæ pervenit usque ad nos, custodita sine fictione, scripturarum tractatione plenissimâ, neque additamentum neque ablationem recipiens, lectio sine falsatione, & secundum scripturas expositio legitima & diligens & sine periculo & sine blasphemia. Cyrillus Hierosolymitanus seculo quarto in Catechesi illuminatorum quartâ: Oportet de divinis & sanctis fidei mysteriis ne minimum quidem sine S. scripturis tradere. Et paulò post: Nec mihi simpliciter credas, nisi eorum, quæ pronuncio, demonstrationem ex S. literis acceperis.

Salus enim hæc fidei nostræ non ex iis constat, quæ ipse quis invenit, sed ex demonstratione S. scripturarum. Et cum deinde in eadem Catechesi totam fidei doctrinam exponat, nullum dogma proponit, nisi ex scripturâ depromptum. Basilii Magni eodem seculo confessione fidei inter alia ait: Manifestus est fidei lapsus & liquidum superbia vitium, vel respuere aliquid eorum, quæ scripta sunt, vel inducere quicquam, quod scriptum non est. Item Hieronymus l. advers. Helvid. ut hæc quæ scripta sunt, non negamus, ita ea, quæ scripta non sunt, renuimus. Natum Deum esse de virgine credimus; quia legimus; Mariam nupsisse post partum, non credimus; quia non legimus. Hisce assentitur quinto seculo S. Augustinus, qui libro secundo de doctrinâ Christianâ Cap. ix. ita ait: In iis, quæ apertè in scripturâ posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi: spem scilicet & caritatem. Et Vincentius Lerinensis eodem seculo, common. i. cap. 2. Canonem scripturarum perfectum sibi que ad omnia satis superque sufficientem esse confirmat.

XXXV. His ex sequentibus seculis plures addi possent Doctores, qui ad unum omnes scripturæ sufficientiam asserunt. Verum nos paucis illis sed perspicuis S. Patrum testimoniis nunc acquiescimus. Verbo saltem monemus, vocem traditionis à primitivæ Ecclesiæ Doctoribus sæpius quidem usurpari, sed nunquam eo sensu, quo pontificii hodie accipiunt; nam per traditionem intelligunt vel ipsum verbum scriptum, quod rectè traditio vocatur, quia primò vivâ voce & prædicatione, deinde etiam scripto nobis traditum est; vel testimoniū Ecclesiæ, quæ admodum traditionem sumit Vincentius Lerinensis comin. i. c. i. vel constitutiones rituum externorum & ceremoniarum: sicut id omne benè explicant B. Chemnit. Exam. Conc. Trid. de traditionibus; & B. Horneius tract. de S. script. disp. iv. n. 6. & seqq.

XXXVI. Quod verò ex pontificiis quidam hinc objiciunt, quosdam libros scripturæ intercidisse, id causam eorum minimè

Pont.
v. 7.

juvat. Posito enim, illos fuisse canonicos, id tamen perfectioni scripturæ nihil derogaret, cum omnia ad salutem necessaria, iis, qui supersunt, sufficienter contineantur, ut hactenus probatum est. Sed nondum concedimus, ullum librum canonicum periisse. Etenim ex libris istis, qui pro perditis habentur, nonnulli in ipsâ scripturâ sacrâ sub diversis nominibus extant, quales sunt libri Nathanis prophetæ Gad. videntis. I. Paralip. xx. x. 29. Itē libri Ahie Silonitæ, Jedonis videntis II. Paralip. ix. 29. & c. Cæteros verò libros in sacris literis citatos, qui videlicet hodiè desiderantur, quales sunt liber bellorū Domini. Num. xxi. 14. liber Justorum Jos. x. 13. liber Enoch. in Epistol. Judæ v. 14. & 15. & c. non fuisse canonicos, cum multis aliis tum veteribus tum recentioribus statuimus.

XXXVII. Præterea ita argumentamur: si omnes articuli omnibus & singulis ad salutem creditu necessarij comprehenduntur symbolo Apostolico quoad fidē, & quoad mores, si de iis spe divina roborandis agatur, præcepto orationis; & quod eisdem attinet caritate illustrandos, præceptis Decalogi; & quoad sacramenta, cognitione eorum, quibus unusquisque juxta conditionem suam debet uti, sequitur, sacram scripturâ esse sufficientem. Sed antecedens est verū. Ergo & consequens. *Argum.*
Consequentia probatur ex comparatione omnium membrorum jam enumeratorū cum sacrâ scripturâ: nihil n. vel symbolo Apostolico vel oratione Dominicâ vel præceptis Decalogi vel doctrinâ Sacramentorum continetur, quod in sacris literis non reperiat. Minorem non possunt non agnoscere & admittere Pontificii, uti sanè admiserunt Adrianus & Petrus de Walenburg Exam. Princ. fidei exam. III. de Princip. Catholico n. xcix. Communis sententia, ajunt, doctorum Catholicorū est, articulos omnibus & singulis necessarios ex præcepto divino comprehendendi symbolo Apostolico quoad fidē; & quoad mores spe divina

vinâ illustrandos, precepto orationis; & eos sê caritate divi-
nâ illustrandos preceptis decalogi: demû fide eorum sacramen-
torum, quibus unusquisque juxta conditionem suam debet uti.

V. XXXIIX. Dicitur ultimò in definitione scripturæ, eam nos
erudire. Ex quo sequitur, S. scripturam esse perspicuam: Ete-
nim si ex eâ dogmata fidei & coetera, quæ cognitu ad salutem
sunt necessaria haurienda sunt, omninò ita debet esse compa-
rata, ut quilibet, qui verba scripturæ intelligit, sensum etiam
percipiat. Hinc est quod laicis etiam scripturæ lectionem per-
Pontif. mittimus. Hic iterum impingunt pontificii negantes scriptu-
râ ita esse perspicuam, ut ex eâ omnes articuli necessarij absq;
ope adjuncti peculiaris & per divinum privilegium infallibili-
tate instructi judicis, cujus definitioni omnes stare oporteat,
probari possint. Ob quam causam laicos à lectione scripturæ
arcent. Non autem conveniunt pontificii in hoc perverso do-
gmate. Nonnulli enim totam scripturam obscuritatis accu-
sant, quin plumbeam regulam esse contendunt, quæ nasi cerei
instar in omnes partes facile flectatur, ut vix ulla in eâ senten-
tia inveniatur, quæ non possit in varios & impios sensus trahi,
si traditio & doctrina & determinatio vivæ vocis auferatur.
Ita Huntlæus, Pighius, Andradius & alii nonnulli statuunt.
Sed contrarium pronunciat Deus ipse. Deut. xxx. ii. Mon-
datum hoc, quod ego precipio tibi hodie, non supra te est, neque
procul positum, nec in cælo situm, ut possis dicere; quis nostrum
valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus,
atque opere compleamus? Neque trans mare positum, ut cause-
ris & dicas: quis ex nobis poterit transfretare mare & illud ad
nos usque deferre, ut possimus audire & facere, quod preceptum
est: sed juxta te est sermo valdè in ore tuo & in corde tuo, ut fa-
cias illum, Hunc locû intelligendum esse de facilitate cogno-
scendi legem, concedit Becanus, & hac in parte Huntlæo ac
cate-

cæteris contradicit. Verba ejus sunt l. i. Manu. cap. i. quæst. iv. n. iv. *Aliud est querere, an mandatum legis Mosaicæ (quatenus complectitur legem Decalogi & legem ceremoniale ac judicialem) sit facile intellectu: aliud, an tota scriptura sit talis. De priori nõ est quæstio, sed de posteriori. Nec ex priori potest inferri posterius. Non n. sequitur: mandatũ, quod ego præcipio tibi hodiè clarum & perspicuum est. E. tota Scriptura clara & perspicua est. Absurdæ sententiæ ulteriore refutatione supersedebimus.*

XXXIX. Alii statuunt, totam Scripturam non esse difficilem & obscuram, sed saltem aliquas ejus partes, ut proinde omnes articuli necessarii certis & perspicuis di&is testimoniisq; probari nequeant. Sic n. Becanus loco citato n. i. *Nos asserimus, in multis quidẽ locis facilem esse (Scripturam) sed in multis etiam obscuram & intellectu difficilem.* Becano subscribit Costerus cap. i. Enchiridii: *Multa in sacris literis esse perspicua, negandũ non est, omnia autem esse hujusmodi, ut sine labore à quovis intelligi possint, etiam illa loca, quæ dogmata fidei continent, cum experientia pugnat.* Hinc porrò statuunt, S. Scripturam non esse solam normam, secundum quam decidi debeant controversiæ, sed Scripturam & Traditionẽ simul. Ecclesiam verò esse judicem, quæ juxta hanc normam dupliciter sententiam pronuntiare possit, vel per Pontificem, qui sit pastor Ecclesiæ; vel per Concilia à Pontifice approbata & Ecclesiam representantia, & utroque modo sententiam esse infallibilem. Videatur Becanus lib. I. Manual. cap. V. n. III.

XL. Antequam ad hoc ultimum Pontificiorum dogma respondeamus, duo præmittimus. I. à nobis non negari, res ipsas, quæ in S. Scripturâ proponuntur, captum humanũ subterfugere & superare, atque eo sensu obscuras & occultas esse. Quamvis enim in historicis & doctrinâ morum tanta rerum obscuritas non deprehendatur; in mysteriis tamen maxima

E

est,

est, ita ut intellectus distinctas eorum rationes in hac imbecillitate penetrare nunquam possit. Igitur de obscuritate rerum nunc nobis sermo non est, sed saltem quaestio, an sensus verborum scripturae de necessariis ad salutem ita sit obscurus, ut sine interprete intelligi nequeat. II. Nec id negamus, multa in sacris literis etiam quoad sensum esse intellectu difficilia, quod quidem dudum facti sunt Theologi nostri. Audiatur saltim Chemnitius Exam. Concil. Trident. sess. IV. cap. II. *Sunt praeterea, inquit, multae difficiles & obscurae sententiae in Scriptura, quarum sensus non potest a quovis primo statim aspectu deprehendi.* Rationes vero, quare spiritus S. perspicuis obscura miscere voluerit, vide apud Aug. I. II. de doctrin. Christi. C. VI. Hoc ergo est, quod contra pontificios asserimus, nempe, S. Scriptura quoad sensum esse perspicuam in omnibus ad salutem necessariis; atque adeo esse unicam supremam normam, secundum quam controversiae in fide decidi possint ac debeant.

XLI. Paucis autem probabimus Thesin nostram, & primo quidem ex ipsa Scriptura. Rom. X. 6. & seqq. Apostolus eadem verba, quae superius de perspicuitate doctrinae V. T. adduximus, applicat doctrinae N. T. Sic enim loquitur: *Ceterum quae ex fide est iustitia, ea sic dicit: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in caelum? Hoc est Christum ex alto deducere, aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere. Sed quid dicit? Prope te verbum est in ore & in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod predicamus.*

Quid igitur aliud denotatur hic, quam perspicuitas verbi divini? Ita argumentamur: si iustitia, quae est ex fide, facilis est intellectu, sequitur, quod omnes articuli fidei in verbo Dei propositi sint faciles intellectu. Sed prius est verum: E. & posterius. Minor ex textu patet. Consequentiam probamus: Quia iustitia ex fide nihil aliud est, quam doctrina Evangelij, sine qua

quâ nemo potest justificari aut salvari. Idem probatur ex aliis scripturæ locis. Sic Ps. xviii. 9. Præcepum Domini lucidum, illuminans oculos. Et Psal. cxix. 105. Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis; & infra v. 130. Auditus sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.

XLII. Hisce addi possunt testimonia antiquorum Patrum, quæ cum ab aliis summâ cum diligentia collecta & Adversariis ob oculos posita sint, nolumus ea hic inculcare. Saltem unum atq; alterum nunc adferemus. Irenæus lib. III. c. II. Contra Gnosticos & Carpocratianos hæc habet: Cum ex scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum scripturarum, quasi non rectè se habeant, neq; sint ex auctoritate & quia variè sint dictæ & quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem: non n. per literas traditam illam, sed per vivam vocem. Laëtantius lib. vi. Inst. c. xxi. Num Deus & mentis & lingua artifex disertè loqui non potest: imò verò summa providentiæ carere fucò voluit ea, quæ divina sunt, ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur. August. lib. II. de doct. Christ. c. 18. In iis quæ apertè in scripturâ posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi.

XLIII. Tanta autem hic est veritatis evidentia, ut celebrem è Jesuitis Gabrielem Vazquez coegerit scribere in Tertiam disp. CLXXIX. c. vi. Videmus omnia fidei nostræ dogmata, quæ omnibus credenda hætenus proposita fuerunt, non figuratè, nec verbis impropriis, sed apertè & propriissimis vocibus tradita fuisse. Si verò scire cupias, quænam sint illa fidei dogmata omnibus credenda proposita, id ex verbis Adriani & Petri de Walenburg supra th. 37. adductis discere poteris; qui ex communi Doctorum pontificiorum sententiâ asserunt, articulos omnibus & singulis necessarios ex præcepto divino comprehendendi Symbolo Apostolico quoad fidem: & quoad mores spe divinâ robo-



randos praecepto Orationis, & eosdem Caritate divinâ illustran-
dos, praeceptis Decalogi: demum fide eorum sacramentorum, qui-
bus unusquisq; juxta conditionem suam debet uti. Jam ita ar-
 gumentamur. Articuli omnibus & singulis necessarii non fi-
guratè, nec verbis impropriis, sed apertè, & propriissimis voci-
bus in scripturâ traditi sunt. Articuli Symbolo Apostolico, O-
 ratione Dominicâ, praeceptis Decalogi & doctrinâ Sacramen-
torum comprehensi sunt omnibus & singulis necessarii. Ergo
 Articuli Symbolo Apostolico, oratione Dominicâ, praeceptis
Decalogi, doctrinâ Sacramentorum comprehensi non figu-
ratè, nec verbis impropriis, sed apertè & propriissimis vocibus
in scripturâ traditi sunt. Major ex inductione constat & à Vaz-
 quez admittitur. Minor est Adriani & Petri de Walenburg.
 Igitur conclusionem etiam admittant necesse est. Sic adver-
 sarios proprio jugulavimus gladio.

XLIV. Ex dictis redditur manifestum, sacram scripturam
 non solum esse sufficientem, verum etiam perspicuam in omni-
 bus necessariis & per consequens unicam, summam & certis-
simam normam, secundum quam controversiæ fidei omnes
 decidi possint ac debeant. Hoc tamen ipso non rejicimus Tra-
 ditionem sive Testimonium priscae Ecclesiae. Sicut enim illa
 rectè testari potest, quinam sint libri Canonici, quinam Apo-
cryphi, ita non minus, quis sit scripturae verus & genuinus sen-
 sus, saltem in iis, quæ cognitu ad salutem sunt necessaria, ut
 rectè testimoniū Ecclesiae ad hoc restringit Vincent. Lerinenf.
 Comm. II. c. antepenult. Hinc B. Chemnit. Exam. Conc. Trid.
 Ubi agit de quarto traditionum genere: *Nullum est dubium,*
inquit primitivam Ecclesiam accepisse ab Apostolis & Viris A-
postolicis non tantum textum (sicut loquimur) scripturae, verum
etiam legitimam & nativam ejus interpretationem, quam quia
primitiva Ecclesia ad illa usq; tempora sine fictione custodierat,
 ite

ita ut certis documentis probare posset, à quibus eam accepisset, & ita retrò progressus fieret ad ipsos usque Apostolos, jucundissima sanè fuit illa consideratio, quâ pia mentes plurimum confirmata fuerunt contra hæreticorum corruptelas. Idem de interpretatione scripturæ: Est & hoc certum, neminem debere sua prudentia inniti in Scripturæ interpretatione, ne in claris quidè locis. — Grati etiam & reverenter utimur Patrum laboribus, qui multa Scripturæ loca Commentariis suis utiliter illustrarunt. Et V. Ecclesiæ Testimoniis in vero & sano Scripturæ sensu nos non parùm confirmari fatemur. Neque enim probamus, si quis sibi comminiscatur sensum pugnantem cum totâ antiquitate, & cujus planè nulla sint Ecclesiæ Testimonia. His similia proponit sexto traditi. gen. Fatemur, ait, nos ab illis dissentire, qui fingunt opiniones, quæ nulla habent testimonia ullius temporis in Ecclesiâ: sicut nostro tempore fecerunt Servetus, Campanus, Anabaptistæ & alii. Sentimus etiam, nullum dogma in Ecclesiâ novum & cum totâ antiquitate pugnans recipiendū.

XLV. In confutatione igitur hæreticorum, qui clarissima Scripturæ dicta in pravam sensum torquent, rectè adhibetur testimonium primitivæ Ecclesiæ, non quasi ex solâ Scripturâ non possint convinci hæretici, sed ut videant, ei sensui, quem verba Scripturæ præ se ferunt, semper inhaesisse Catholicam Ecclesiam; quæ secundum ipsam quoq; scripturam in fundamentis fidei errare non potest. Quid autem antiqua universalis Ecclesia unanimiter crediderit, constat ex Symbolis, Confessionibus & declarationibus priscorum Conciliorum & ex consentientibus Testimoniis ejus ævi doctorum sive Patrum. Jam Concilia nec universalia nec particularia nedum singuli doctores potestate pollent aliquid proprio iudicio in rebus fidei constituendi vel determinandi. Talis enim potestas non potest cuiquam competere, nisi divinitus fuerit collata.

& proinde nulli homines sive singuli sive conjuncti sibi vendicare eam debent, nisi ipsis divinitus datam esse certò constet. Constat autem non esse datam. Universalis igitur Ecclesia nullum novum Articulum aut Sacramentum potest constituere, sed ad ea, quæ Scriptura proponit, obligatur. Ergò si Ecclesia etiam universalis hæctenus è scripturâ dependet, sequitur, verbum Dei sive scripturam unicam & summam fidei normam & regulam esse.

XLVI. Porro quòd judicem controversiarum attinet, nonnulli tùm veteres tùm recentiores vocabulum judicis late accipiunt, ut idem sit ac norma. Si verò illud strictè capiatur, nullum est dubium, quin aliud sit judex, aliud norma. Qualis tamen judex non magis datur cōtroversiarum Theologicarum, quam Philosophicarum vel Medicarum. Qui sententiam aliquam vel perspicuis Scripturæ dictis vel argumento è talibus evidenter deducto sive adstruit sive destruit, ille in tali casu & causâ judicat. Quod non solum Romano Pontifici sive Episcopo competit, sed omnibus Ecclesiæ Episcopis & Doctoribus, imò quibusvis scientiâ & facultate ad id ipsum præstandum instructis. Nam si moveatur controversia adversus fidem & orientur hæreses, quilibet fidelis quâ talis, ex se novit, quod contradicere alicui articulo fidei sit error fundamentalis Implicat enim Christianum esse, sive fide Christianâ Catholicâq; præditum, & tamen ignorare ea, quæ omnem fidem scire oportet, si salvus esse velit. Si igitur fidelis etiam idiota & rudis potest cognoscere & judicare errorem fundamentalem, quidni Doctores Ecclesiæ? Etenim si Christiani sine Pontificis determinatione scire non possent, quid exortis hæreticis articulos fundamentales negantibus credendum vel non credendū, Roma verò à loco, ubi cōtroversia moveretur, longè distaret, summo certè salutis periculo essent expositi, qui
inte-

inrerea, dum res Romam perferretur & inde responsum referretur, de fundamento salutis pendere cogentur: præsertim si contingeret, tres simul esse Pontifices, ut olim factum & incertum foret, quisnam eorum legitimus & genuinus. Rectius ergo fecerit, qui hæresi oborta de sententiâ, quæ Româ demum afferatur, non fuerit sollicitus; sed Scripturam consulat, quam omnes scrutari iussit Servator, Joh. V, 39. Consulat suum Symbolum & quid cum eo conveniat, quid discrepet, dispiciat. Indiget informatione? præstò sunt Doctores, quos adire poterit. Horum enim est, ex scripturâ dogmata fidei demonstrare, hæreses refutare, & infirmos in fide confirmare. *Labia Sacerdotis*, inquit Malachias, c. II. 7. *Custodient scientiam, & legem requirent ex ejus ore, quoniam angelus Domini exercituum est.* Item S. Paulus. Eph. IV. 10. & seqq. *Christus ascendens super omnes cælos dedit alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores: ut ne simus amplius pueri qui fluctuemus & circumferamur quovis vento doctrinae.*

XLVII. Tandem quod quæstiones & controversias, quæ *quæst. circa fidem.* fundamentalibus articulis annascuntur, easque directe & propinquè non evertunt, cõcernit, ad illas decidendas itidem nullo opus est peculiari iudice. Ejusmodi enim quæstiones salvâ fide & plebeij ignorare & eruditi in utramq; partem ventilare possunt, modò caritas non violetur, quam & Salvator & Apostoli nobis nunquam non commendant. Notæ sunt controversiæ, quæ olim de die Palchatis, de rebaptizandis hæreticis inter Doctores Catholicos sine schismate fuerunt agitatae; in quibus profectò decidendis Polycarpus, Polycrates, Cyprianus sanctissimi viri & Martyres nullam Romanorum Pontificum auctoritatem agnoverunt. Quid autem dicimus de adeo antiquis temporibus? cur Pontifices Romani, si infalli-

infallibiles sunt, arduam illam & magni momenti controver-
 siam de gratiæ necessitate, efficaciâ & determinatione, quæ à
 multis annis inter Dominicanos & Jesuitas non sine acerbâ
 & sævâ contentione agitatur, non deciderunt? Quod quia non
 fecerunt, coguntur pontificii fateri, ejusmodi quæstionum
 & controversiarum decisione carere posse Ecclesiam: & per
 consequens pontificis sui infallibilem auctoritatem, quam in
 controversiis decidendis ei tribuunt, frustra excogitari & ob-
 trudi cæpisse. Dicis; ante triennium controversiam hanc ab
 Innocentio X. esse decisam. Respond. Dominicanos deci-
 sioni isti nondum acquiescere, &posito, fore, ut tyrannide
 pontificis adacti tandem acquiescant, nihilominus tamen ve-
 rû manet, Ecclesiam pontificiam uti hac decisione per multos
 annos caruit ita imposterum eâ carere potuisse. Nemo enim,
 credo, ex pontificiis tam absurdus erit, ut statuatur, talem ponti-
 ficis decisionem necessariam esse & articulum fidei constituere.
 Concedendum aliàs ipsis esset, ecclesiam Romanam ante
 hanc decisionem non fuisse veram ecclesiam, quoniâ aliquo
 fidei articulo fuerit destituta; quod tamen numquam con-
 cesserint. Ergo fateantur necesse est, propter tales quæstio-
 nes & difficultates, de qualibus nunc loquimur, visibili ju-
 dice & infallibilitate pollente etiam in ipsorum Ecclesia nihil
 omnino opus esse.

Errata.

Disput. 1. §. 11. lin. 15. lege scholasticarum, disput. 1. §. 30. lin. 6. leg. primogeni-
 um. Ead. §. 37. lin. 19. pro illu illustrandos lege illustrandos.

F I N I S.

99 A 6948

ULB Halle

3

002 840 022




Ruha Vb 17



DISPUTATIO
DE ECCLESIA





Disputationes Theologicae
Quibus
NATURA
& Principium Theologiae
explicantur



TRES
IN ACADEMIA HASSO-SCHAUMBURGICA
publicae disquisitioni expositae
AUCTORE ET PRAESIDE

Henrico Martino Eccardo
SS. Theol. Doctore & Profefs. ordinario.

EDITIO ALTERA.



*Valentinus Bernh.
Mylus.*

RINTELII,
Ex Officina PETRI LUCII Academie Typographi,
MDCCLVI.